34-6.T.18-14
110

ILLVSTRISS. PRINCIPI

ALEXANDRO CARD. VRSINO

IVLIVS ROSPIGLIOSIVS SEM. ROM. CON

MAIORES hoſce tuos offero tibi (Cardinalis Ampliſsime) ſimulq; conſilij mei rationem paucis expono. Plerique eorum, qui Principibus Viris inſcribunt philoſophicas theſes, illorum Virtutes ingenioſo aliquo commento ſpectandas, modulatoq; acroamate audiendas efferre conſueuerunt. Ego etſi ornamenta pectoris tui magnifico ſane ſchemate, nec ſine omnium commendatione, plauſuq; complecti poteram, tamen Modeſtiæ tuæ memor abſtinui, remq; totam ad Maiores tuos, qui bello inclaruere, hoc eſt longiſsima à te declinatione, deriuaui. Proinde ſacros Heroas attingendos mihi non duxi in præſentia: ſiue illos, qui Chriſtianam Remp. Pontifices Maximi adminiſtrarunt, quos omnino quatuor numeratis: quiq; huic faſtigio proximi Purpuratorum Patrum numerum amplifica-

BIBL. NAZ. VITT. EMANUELE

runt, quos non minus quatuor & triginta recenſetis: ſiue illos, quorum Virtus Cælo recepta mortalium votis, atque Aris colitur: ex quibus vel vnus, ſed multorum Parens Ordinum Benedictus, quantum claritudinjs attulit Vrſinæ familiæ, qui afferre lucem vniuerſo potuit Occidenti? Quamquam his ſilentio iuxta ac veneratione tranſmiſsis, è Militaribus viris dum vnum aut alterum, præteritis plurimis, eligebam; videbam profectò, in quos ego multorum ſermones incurrerem: iamq; audiebam, qui ex me ſciſcitarentur, Cur in hoc Vrſinorum cenſu par illud antiquitate factisq; nobile, Conſtantinum, & Raymundum, Caroli Magni Duces præterierim? Cur relictus à me is, qui dirutum Capitolium reſtituit Vrſus Conſul? Vbi Raymundus Neapolitani Regni Prorex, Salerni Princeps, Amalphæ Dux, Nolæ Comes? Vbi Io. Antonius Tarenti Princeps, Maria matre Neap. Regina, geminisq; Iſabellis, altera ſororis filia, altera nepti, duorum Neap. Regum coniugibus illuſtris? Vbi Robertus cognomento Intrepidus, Ferdinandi Regis Copiarum Ductor, Neapolitani Regni magnus Comeſtabilis, Laurentij Medicei Vrbini Ducis Auus, Catharinæ Galliarum Reginæ Proauus? Vbi Nicolaus Petiliani Comes, Senenſium, Florentinorum, trium Summorum Pontificum, duorum Aragonen-

nen-

nenſium Regum, Venetæ demum Reipublicæ Imperator? Vbi complures Ducum manipuli, qui Galliæ, Germaniæq; faſtos impleuere? Quibus ego paucis reſponſum volo. Scire me, eorum, qui è veſtra Gente ordines duxerunt, Centuriam plane confici: vſque adeo fortibus bello viris abundatis; ſed propoſitum mihi fuiſſe ex eis indicare aliquos, in quos ſecurus inciderem, non quos ſollicitus delibarem. Immo neque ſtudio plane factum, vt qui obuenerunt, bellicam laudem cum Patriæ, ac Pontificiæ dignitatis defenſione coniunxerint. Eſt enim hoc ſolemne Familiæ veſtræ, Eam perpetuo fouiſſe cauſam, quam Religio meliorem, Vrſina virtus ſuperiorem faceret. Tu interim, Illuſtriſsime Princeps, hoc quantum quantum eſt muneris, ſi non alio nomine, certe quòd tibi gratificaturus, à tuis laudibus illud abſtinui, hilari animo, ac vultu complectere. Vale.

ALEXANDRO VRSINO CARDINALI

Gentis Vrſinæ, patriæque Romæ
Sidus ò Princeps, lege quæ Parentum
Geſta magnorum damus, Italiſque
Nomina bellis.
Parcimus Vates tibi, quòd merentem
Impari longè ſequimur Camœna,
Rebus & ſacris, modulante Cœlo,
Porrigis aurem.

ELO-

ELOGIVM I

VRSINVM, ET PRIMIANVM
Caij Vrſi filios Vrſinos, Spoletinorum Duces:
quòd ad Vrb. Romam ab Antharite Flauio Longobardorum
Rege obſeſſam, ſponte cum exercitu accurrerint:
collatis ſignis hoſtem fugauerint:
obſidione Vrbem exemerint;
S. P. Q. R
Liberatores ſuos ſalutat: Statuis cum obſidionalibus
coronis donat: partem Vrbis in Harenula,
oppidaq; aliquot in Latio
Vrſinæ familiæ
attribuit.

CHORVS I

Roma ſeruili reſoluta nodo,
Liberum Mundi caput. ò Latini
Sanguinis pubes, age Romulaum
Plaude triumphum.
Victus abſceſsit modò victor hoſtis,
Barbaros ſecum rapuit tumultus,
Rurſus aſſuetum iuga ferre collum
Sub iuga duxit.
Grande par Fratrum, geminiſq. compar
Fratribus, quorum ſtetit arbitratu
Roma,

Roma; nunc veſtris humeris cadentem
Tollitis Vrbem.
Nec Palatinam vaga vos ad vmbram
Lacte nutriuit Lupa belluino:
Sed triumphorum genitrix honeſto
Gloria ſucco.
Roma victores ſamulata faſces
Ponit Vrſino: tua, Primiane,
Roma ſupponit tibi feriatas
Pace ſecures.
Roma ſi vicit, tibi vicit vni;
Roma ſi collo mala ſeruitutis
Vincla diſſoluit, mala vincla collo
Te Duce ſoluit.
Vrbe ſeruata, cape Martialem
Imparem quamquam meritis coronam;
Dignus ingentem redimire multo
Sidere frontem.
Te decet vultu Roſa purpurato,
Aptus eſt veſtris color is triumphis:
Quos puellaris manus allaborat
Indue flores.
Gentis hoc magna decus, hæc ſequentum
Nobilis quondam nota poſterorum;
Tamdiu viues, Roſa dum paterno
Vere redibit.

ELO-

ELOGIVM II.

Tibi
MATTHÆE RVBEE VRSINE
Senator Vrbis, re & appellatione Magne;
attulere quidem decus hinc Conſulares Ioannis Parentis
faſces, hinc Nicolai filij Pontificium imperium: ſed tu
tibi ſumma probitate, tuis felici propagatione,
patriæ heroica fortitudine, longe
maiori ornamento
fuiſti.
Teſtis intima cultus à te familiaritate Franciſcus
Parens Minorum Maximus, quem hoſpitio, atque epulis,
vt ſolebas excipiens, meruiſti vt filio tunc
puero Pontificatum, diuino actus
inſtinctu, prædiceret.
Teſtis propagata à ſeptem filiorum capitibus
per Italiam, Galliam, Germaniamq; Vrſina familia:
à quibus & Bracciani & Grauinæ Duces, & Franciæ
Pares: & Petiliani Nolæq; Comites, &
Principes Tarenti: & Roſembergij
Dynaſtæ prouenerunt.
Teſtis Fridericus Cæſar, quem Romam inuadentem,
ſeptuagenarius cum eſſes, ſumptis armis Cruce, quam
tu primus induiſti, communitis: luſtrataq; Vrbe
ſolemni agmine ſupplicantium, ac ſacra
Principum Apoſt: capita deducentium,
hoſtem potentiſſimum à mœnibus
absterruiſti.

Qua te gratia
Et Vrſina gens Propagatorem familiæ agnoſcit:
Et Roma Patrem Patriæ dixit:
Et Gregorius IX. Pont. Max.
gemmea faſcia caput
exornauit.

CHORVS II

DIc, triumphe, io triumphe,
Deque Celtis, deque Cymbris
De Sueuis, de Sycambris
Læta Roma io triumphe.
Magnus ille Romulæi
Martiale fulmen Orbis
Pro latina re, Quirini
Soſpitate pro Parentis;
De tonantis Arce Mundi
Dux ad arma, ad arma Cælum
Cælitesque deuocauit.
Deuocauit: adfuere
Mille Cælitum cohortes,
Proq. Roma criſpiſulco
Militauit igne Cælum.
Inde Magnus Aenobarbum
Bella Diuis inferentem,
Templa mundi funerantem,

De

De Quirina perduellem
Fulminauit Vrbe Cæſarem.
Viue, viue Conſul Vrbi:
Viue, viue Magnus Orbi.
Surge Fama, ſinde nubes,
Tolle pennas, atque Magni
Inter aſtra ſcribe nomina.
Surge Roma, fer triumphos:
Vrſinisq. de Roſetis
Purpurata texe lauream.
Pauper ille notus orbi:
Ille amoris, & doloris,
Numinisque, ſiderumque,
Vulnerumque diues Heres:
Ille Magni de Roſetis
Aſſerit Roſam, quæ honeſtet
Infulasque, Purpurasque,
Quæ Quirini è Sede mundi
Iura Cælo, iura Terris
Iura ſæuis dicat Inferis.
Inde dulce fulgurantum
Vrſinarum ver Roſarum,
Purpureta Galliarum,
Et Triones, & Sycambros
Veris ambitu beabit.
Ille Numine hoſpitali

Plenus ora ſic proſatur:
Fœderata Roma Cælo
Sic rogabit, ſic vouebit,
Coniugatis ver vt aſtris
Nobiles Roſas maritet:
Et triumphet in Roſarum
Et corollis Roma ſiderum.

E L O G I V M I I I

At vero
RAYMVNDVM VRSINVM BALZIANVM
Nicolai Comitis Nolani filium, Tarenti Principem,
S.R.E. Vexilliferum, quo nomine compellabimus?
Bellatorem ne fortiſſimum?
qui in Syriaca expeditione, Saracenum immanitate
corporis ac virium præferocem, ſingulari certamine
in hoſtium conſpectu confecit, ac ſpoliauit.
An Propugnatorem Pontificiæ dignitatis acerrimum?
qui Vrbanum VI. Pont. Max. in Nucerina Arce,
armis Caroli Neapolit. Regis obſeſſum, conflato,
ductoq; ſuis auſpicijs ſeptem Equitum millium
exercitu, fugatis Regis copijs, liberum
eduxit, ac nauibus impoſitum
Genuam deuexit.
An Ducem prudentiſſimum?
qui, indicto ſibi bello à Ladiſlao Neapol. Rege, cui
puero armis Pontificijs ac ſuis Regnum aſſeruerat,
obuiam Regi factus formidando cum exercitu,
quem Vrſini Proceres, miſſis Roma ſubſidijs, auxerant:
cum pugnæ ſignum daturus eſſet, euocato ad colloquium
Regi, ſe, exercitumq; ſuum, atque vrbes, quæ armis
repetebantur, ſupplex donat: aperitque quid
eo cum apparatu venerit; nempe, Vt quid
Vrſinus poſſet, & quid nollet, oſtenderet.
Quo facinore victus Rex, qui armis vinci ſe potuiſſe, litteris
teſtatus eſt, reſtitutis quæ cæperat oppidis, complures Vrbes
vltro

vltro adiecit. Atque ita Raymundus, euitato martis incerti
diſcrimine, & ſuam ditionem retinuit,
& nouo dominatu
auctus eſt.
An denique Dynaſtam opulentiſſimum?
qui Tarenti atque Hydrunti Princeps, Venuſiæ Dux, Beneuenti
atque Aletij Comes, Barij Dominus, Neapolitanum Regnum
ex æquo pene diuiſum cum Rege poſſideret: in hoc etiam
exæquatus Regi, quod vxor Maria Borbonia Balziana,
formæ animæq; magnæ femina, mortuo Raymundo viro,
impetum Ladiſlai terra mariq; ingenti cum exercitu
Tarentum inuadentis, bis ſuſtinuerit repuleritque:
nec ante ceſſerit, quàm oblatis
à Ladiſlao nuptijs, Regina
ſalutata eſt.
Quamuis filij, quos in Regiam intulit domum,
multo magis Raymundo Parente,
quàm Ladiſlao Vitrico
gloriarentur.

CHO-

CHORVS III

SIc vnda numquam mitior aſperum
Strauit receptis Nerea claſſibus,
Viroſque, victriceſque puppes
Ad volucres reuocauit Euros.
I fraudulenti margine littoris,
Tutusq; prædas eripe diuites,
Et Sacra, Romanumque Patrem
Redde aliis Raymunde terris.
Recluſit oris tecta Liguſticis
Regina ponti Genua, quæ tuos
Signat perennantes in ære
Iam titulos, ſtabilique ſaxo.
Signans & altis Tibris ab Arcibus
Æquata priſcis nomina Patribus,
Totisque debellata circum
Parthenope reſonabit vndis.
Ille ille Eois hoſpes in Vrbibus
Terras duello miſcuit vltimas:
Mileſque formidatus oris
Palmiſeris, Syrioque Regno.
Ille intonatis agmine claſsicis
Regem inſolenti proruit impetu,
Minaſque, dementiſque ſoluit
Obſidium potiore dextra.

Duci timendo Carolus artifex
Victoriarum condere machinas
Vltro laborat: Marte pugnax
Arma vocat, terit arma Virtus,
Vrſina Virtus indita pectori,
Ignara culpæ quam Pietas vehit,
Fides & vltrix, atque mentis
Impauidæ generoſa cuſtos.
Euiſceratis non ita montibus
Veſeuus ardens turbine cingitur,
Fluctusque ſubiectasque valles
Flammifero populatur æſtu;
Vt impotentem puluere Martio
Andegauenſem diruis, obruis,
Flagransque longe fulminato
Caſtra voras inimica vallo.
Nunc te marinis vnda Curulibus,
Poſt terra pompis efferet vrbicis:
Actos ſed elatis in æuum
Fama tubis recinet triumphos.

ELO-

ELOGIVM IV

Salue

PAVLE VRSINE

Iacobi Comitis Manupelli fili, Pontificij exercitus Imperator.
Tu Ladiſlai Neapolit. Regis exercitum cum
Romanorum copijs coniunctum, Romæq; vnde Pont.
Innocentius VII. profugerat, dominantem, commiſſo
in pratis Neronianis prælio, ſuperaſti: infenſum
populum reconciliari cum Pont. coegiſti:
Paſtorem omnium in Vrbem ſuam,
Senatu Populoq; Romano
ſupplice, reuocaſti.

Tu Ladiſlai Duces Vrbem aduerſus Pontificem iterum obtinentes, Romam rediens, inita pugna apud Septimianam Portam, hoſtium pleriſque aut captis, aut flumine obrutis, aut ferro cæſis, debellaſti: Regem ipſum ſuperuenientem, ac Tranſtiberinam regionem, in quam nauales copias Oſtia ſubuexerat, occupantem, cedere Vrſinorum Virtuti compuliſti: Vrbem, creatis à te nouis Magiſtratibus,
Gregorio XII. atque Alexandro V. Pontificibus
abſentibus adſeruaſti.

Tu Populum Romanum tertiò Ladiſlai Ducibus parentem ad arma ſollicitaſti: Capitolium, Senatore inde abſtracto tuasq;in Aedes traducto, Arcem Adrianam, Pontem Miluium, Portas Vrbis, eiectis Regijs præſidijs, pro Alex. Pont. obtinuiſti:
Regis copias in Latio agentes inſecutus, Terracinas
vſque, Pontificij ac Populi Romani
exercitus Ductor fugaſti.

C Tu,

Tu, cum Ioannes XXII. Pont. Max. vna cum Aloyſio Andegauenſi Rege in Ladiſlaum pugnam adornaret, Regi comes additus es eo cum honore, nulla vt alia Vexilla niſi S. R. Eccleſiæ, Ioannis Pontificis, Aloyſij Regis, Populi Romani, ac Pauli Vrſini præferrentur in exercitu: collatisq; ſignis ad Fregellas, profligato Ladiſlao copijsq; & caſtris exuto, memorabilem victoriam vna cum alijs Ducibus reportaſti.

Salue Pontificiæ dignitatis aſſertor, Patriæ defenſor, Romæ tuæ arbiter: qui vnus omnia cum poſſes, mirum non eſt, ſi quoties ſua gentilitia Signa Romæ affigebat Ladiſlaus, in tuorum loco Signorum affigi vellet: quod ex te vno victo Romanam victoriam metiretur.

CHORVS IV

DE ſtelliferis huc cita Regnis
Digreſſa rotas flecte volucres
Filia magni Gloria niſus.
Huc regales volue Quadrigas
Celeri ſindens nubila tractu
O perpetui mater Honoris.
Ladiſlai Principis Acies
Coniuratas rumpere ſacra

Capito-

Capitolini iura Senatus,
Paulus magnæ prodigus animæ,
Miſcens calidæ prælia pugnæ,
Mille ingentes cædis aceruos
Flere coegit.
Sat purpureum prata biberunt
Sanguinis imbrem: prata Neronis
Eheù Romæ cædis in vſum
Sata, quæ ab Domino didicere ſuo
Haurire rubri pocula roris.
Ter conantem ſibi ſeptenos
Marte feroci ſubdere Colles
Ladiſlaum, Marte ſecundo
Ter propè noti fluminis vndas,
De ſeptenis fortior Heros
Collibus egit.
Dixitque videns vndare rubro
Late Etruſcum ſanguine littus:
Tibri cruentis aſſuete vadis
Iungere flauas gurgitis vndas,
Vicina ſubi Cærula Nerei,
Picta vt refluas Iridis inſtar,
Flauiſque tuis, rubeiſque vndis
Pelagi glaucos adde liquores.
Tum, ſi gelidas te ſubter aquas
Magnorum vrit cura Nepotum,

Si quæ Roma gloria tangit,
Ladiſlai Regis in Aulam
Hæc ſigna refer: prome, Quirites
Quali fundent Iride pacem,
Me victrices ducente Acies
In quibus altrix Gloria belli
Et adhuc pugnet Romula Virtus.
Hoc rore madens Vrſina rubet
Roſa nobilius, hoc & in omne
Purpurat æuum.



ELO-

ELOGIVM V

Quis autem cum
VIRGINIO VRSINO,
Neapolionis S. R. E. Vexilliferi filio,
Regni Neapolitani magno Comeſtabili,
illa ætate comparari potuit?
Authoritatem eius, potentiamq; ſpecta:
Videbis, conſpirantibus aliquot Italiæ Principibus, externorũq; arma minitãtibus, ſi noua populorum dominatione Virginius augeretur, innixum ope tum ſua, tum Ferdinandi Aragonij Neapol. Regis, cuius Amitam ipſe, filius autem Iordanus Vrſinus eiuſdem Regis filiam matrimonio duxerat, peruiciſſe.
Videbis eum Pontifici Alexan. VI. vt fœdus cum Alphonſo Rege iniret, ſua in eo bello opera oblata, perſuaſiſſe.
Videbis eundem hinc à regijs nuntijs è Gallia miſſis, vt Caroli partes tueretur; hinc ab Alexandro Pont. à Venetis, ab Inſubribus, fœderatis Principibus, vt Ferdinando iuniori Neapol. Regi adhæreret, ſequereturq; conſenſum Italiæ, glorioſa Virginio concertatione, inuitatum eſſe.
Bellica eius munia recordare:
Quot numerabis Italiæ Principes, toties repetita Imperatoris inſignia Virginio numerabis. Sixti IV Pontificis, Ferdinandi Senioris Neapolit. Regis cum Florentinis, atque Inſubribus vnà fœderati, Alphonſi Neap. Regis cum Alex. Pont. Florentiniſq;
con-

coniuncti magnis exercitibus præfuit: cùm Venetis atque Inſubribus, pro reſtituendo Petro Mediceo Vrſina matre genito, Vrſinæque coniugis viro conſpirauit, ordinesq; duxit: abſente Carolo VIII. res eius in Italia, varijs prælijs cum Monpenſerio tutatus eſt.

Verte hinc te ad opum ſplendorem, cultumque familiæ: Regem putabis. ſic illum Romanorum externorumque Procerum corona, qui Virginium perpetuò comitabantur: ſic militum veteranorum copiæ, quas partim ad Sabatinum lacum in Fidenatibus, partim ad lacũ Fucinum in Marſis, ſubiectis vtrobique ſibi populis, alebat: ſic excepti magnifice apud Vicum Varronis, Vrſinæ ditionis oppidum, vno eodemq; tempore & Alexander Pont. cum Cardinalium Senatu, & Alphonſus Rex cum parte copiarum, & Florentinæ Reip. Legati, quò de fœdere acturi conuenerant; ſupra conditionem modumq; Romani Dynaſtæ, Regisque faſtigio propiorem oſtendebant.

Denique vt ſcias non inani fundamento hæc ſtetiſſe, Peritiam rei militaris in illo conſidera: Conijcies ex eo, quod plerique illa tempeſtate armis illuſtres Viri, Comites, Vitellij, Anguillarij, Baleonij, præter gentiles Vrſinos, inſertumq; Vrſinis Liuianum, ex eius domo, tanquam è ſchola prodiere, Virginium vti parentem, exactæque diſciplinæ magiſtrum tunc quidem Alumni nobiles ſecuti, poſtea verò clari bello Duces, Virginij fortitudinem imitati.

CHO-

CHORVS V

INter fulmina Miles,
An fulmen inter Milites
Pectore Virginius Latino
Tum fulminauit armis,
Cum militauit aſtris?
Marte nata Martialem
Agnoſce Roma dexteram,
Inter nubila belli,
Sanguinis inter imbres,
Impete lethiſero tonantem:
Hac dum triſulcæ cuſpidis æmulum
Rotaret enſem, turbines
Aëra per liquidum ſonoros
Prouocabat, imminentis
Pignora Mortis.
Mox vbi belligero
Ferrum incanduit æſtu,
Animosque truces incita Virtus
Notis viribus addidit;
Quas trepidos furibunda per hoſtes
Agglomerauit dextra procellas?
Stragibus in medijs
Quas ſeminauit iras?
Quam pluuij cruoris
Eluuiem per iniqua Martis

Arma refudit?
Vt irrigata ſcilicet
Hoſtilis humus ſanguine ciuico,
Victoriali germine
Palmas Virginio funderet vberes.
Parce Fama militari
Legem ponere Gloriæ.
Immortale ferat decus
Qui numquam timuit mori.
Quique omnibus vixit, decet
Vitam viuat vt omnium.
Superſtes ergo funeribus ſuis
Inuicta Virtus fortibus
Inſpirauit Alumnis
Robur magnæ Animæ inclytum.
Hoc de fulmine prodijt
Ille vigor Comitum, ille fulgor.
Bellipotentes hoc igne faces
Succendère Vitellij.
Hoc gloriatur Militiæ Duce
Anguillaria Principum propago.
Et Balleonum bellica
Hoc fonte fluxit gloria.
Sic Lucis Auctor, luminis
Herede ſiderum choro,
Occaſum reparat ſuum.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VIT. EMANUELE